



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Neque omnes qui pio compunctionis affectu formulas istas legunt,  
propterea habent eam quam oportet, paenitentiam & conversionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

qui ejusmodi precatione ad confessionem sese præparant, & tamen interrogati, aliquo temporali intuitu dicunt se non posse nec velle ab hoc aut illo delicto cavere? *Sunt nonnulli*, ait S. Gregorius, *qui ut fruantur hoc sæculo, transitorie uti volunt* *Lib. 2. mo. cap. 9.* Deo. Cum enim præesse ac curare res humanas Deum credant, ad hoc ipsum colunt ut explendis ac saturandis pravis suis cupiditatibus eis opituletur. Hac intentione (quæ procul dubio perversa est, & sicut dicit Augustinus, propria terrenæ civitatis) possunt, ut Deum *Lib. 15. de civ. Dei cap. 7.* placent, confessionem instituere, aut ejusmodi oratiunculæ lectione contritionis velle actum elicere: an hîc voluntas non deest, aut hac intentione, quis dicere audebit, actum contritionis elici? Videt ergo quomodo dici possit hic deesse voluntatem.

§. I I.

*Neque omnes qui pio compunctionis affectu formulas istas legunt, propterea habent eam quam oportet, penitentiam & conversionem.*

**S**ed quid dum quis rectâ intentione, id est, pio compunctus affectu, ut contritionis actum eliciat, ejusmodi orationem legit,

E 2

legit



legit, an tum nunquam deest voluntas?

*L. 8. conf. cap. 9.* Ille hoc dixerit qui nescit quàm sæpe voluntas imperet sibi & non obsequatur. Mirabatur id Augustinus: *Unde hoc monstrum, inquit, & quare istud? imperat animus corpori & paretur statim, imperat animus sibi & resistitur; imperat inquam, ut velit, qui non imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat in quantum vult, & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat ut sit voluntas nec alia sed ipsa, non utiquè plena imperat, ideò non est quod imperat, nam si plena esset, non imperaret ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum est partim velle, partim nolle sed agritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideò sunt duæ voluntates quia una earum tota non est, & hoc adest alteri quod deest alteri.*

Isto ergo modo non paucis dum converti incipiunt, ut contritionis actum eliciant, ejusmodi contritionis formulam legentibus adest voluntas, quia volunt conteri, sed non conteruntur, quia contrario pravo affectu nondum, ut oportet, exuti, non plenè volunt. Uti autem non plenè volunt, neque ex toto converti desiderant, ita nec plenè aut ex to-

to



to orant. Oratio enim sequitur desiderium, cujus est interpret: orando quippe petimus quod appetendo desideramus. Et inanis apud Deum est clamor oris, quem non exprimit desiderium cordis: quia ut recte Augustinus, ad cor hominis *In Ps. 119.* aures Dei. Quisquis ergo jam surgere seseque ad Deum convertere gestiens, imperfectè id adhuc vult & desiderat, etiam ut id consequatur, imperfectè postulat, ac per hoc non mirum si non illico exaudiatur. *Nondum enim*, dicebat superius Augustinus, *tam perfectè orat hæc anima ut ei dici possit, adhuc loquente te dicam: ecce adsum.* Valde autem ipsi præsumptuosum foret se etiam imperfectè, & ut ita dicam, semi-volendo, orantem, statim velle exaudiri, cum præcipuè longanimitas & perseverantia orantibus à Salvatore sit indicta, & à quibusdam velit orationis piâ improbitate & clamoris importunitate ad subveniendum cogi.

